Theses Iuridicæ,

EX MATERIA

DE REGALIBVS COLLECTAE:

QVAS

DIVINA AVXILIANTE GRATIA CONSENTIENTIBVS ITEM AMPLISSIMIS IVridicæ facultatis Decano, cæterisq; Professoribus, in celeberrima & Catholica Ingolstadiensi Academia publicè disputandas atque defendendas suscepit


ILLVSTRIS ET GENEROSVS DOMINVS, D. FERDINANDVS

KHVEN A BELASI, in Liechtenberg & Gartenau, Baro in Nouo Lempach, &c.

PRÆSIDE

MAGNIFICO ET EXCELLENTISSIMO I. C. D. NICOLAO EVERHARDO CANONVM Professore Ordinario, & Illustrissimi Bauariæ Ducis Consiliario.

Disputabuntur in Auditorio Canonistarum Die .5. Februarij.



INGOLSTADII,

Excusæ per DAVIDEM SARTORIVM. *Anno*

M. D. LXXXIIII.

Dno Præceptori Illustris ac generosi dni, dni a Plawen.



REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI, ILLVSTRISSImoque Principi ac Domino, Domino IOANNI IACOBO ARCHIEPISCOPO SALISBVRGENSI, & S. Apostolicæ Sedis Legato, Domino & PATRVO suo clementissimo.

REVERENDISSIMO QVOQVE IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. GEORGIO A KHIENBVRG, *confirmato* COADIVTORI, *& designato eiusdem Archiepiscopalis Ecclesiæ Successori, Præposito & Archidiacono, &c. Domino suo multis nominibus colendissimo.*

REVERENDIS ITEM, GENEROSIS, ET NOBILIBVS DOMINO DECANO ET SENIORI, TOtique venerabili Capitulo dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis, Dominis suis gratiosis & obseruandis. S. P.



X EO TEMPORE quo Patria discedens Ingolstadium veni, Reuerendissime & Illustrissime Princeps, Reuerendissime Domine Coadiutor, Reuerendi, Generosi, Nobilesq; viri, Domini mei Clementissimi,

Colendiſsimi, Gratioſi & Obſeruandi, illud mihi ſumma ſemper vi & ope enitendum atq; elaborandum duxi, vt animum meum hiſce præſertim imbuerem ſcientiis ac diſciplinis, quibus Rempublicam olim iuuare, Patriæ, Parentibus atq; amicis ſolatium & ornamentum aliquod nō exiguum afferre poſſem. Nulla enim alia re Illuſtriſs. Celſ.nis. Ampliſsimarumq́ue DD. VV rum. de me conceptæ expectationi me cumulatius ſatisfacere poſse, quàm hac ſola, exiſtimaui: Et meo quidem iudicio non ſine maxima cauſa. Nam quotus quiſq; eſt, vel mediocri pręditus intelligentia, qui non perſpiciat, quam vehementer in nobilibus pręcipuè viris deſideretur, multarum præclariſsimarumq́ue & Romani potiſsimùm Iuris cognitio. Quæ ſi hiſtoriarum multa lectione atque memoria iuuetur, dici vix poteſt quantum prudētiæ, quantum animi, quantum opinionis atque autoritatis ad retinendum in officio homines,

mines, ad tractanda Reipublicæ negotia, ad belli ac pacis tempora moderanda, conciliet illi viro, in quo cum splendore nominis ac familiæ, cum spiritu generoso, manuque prompta, hæc simul concurrunt.

Huic autem meo summo desiderio & præclaro conatui feliciter inchoando, summa quoque opportunitas oblata fuit, autoritate & consilio Ill$^{a.}$ Celss. Amplissimarumq; DD. VV$^{rum.}$ quarum suasu effectum est, vt ad hanc celeberrimam & Catholicam Ingolstadiensem Academiam studiorum causa ablegarer. Verè autem dico, summam mihi ad studia mea opportunitatē hoc in loco fuisse oblatam. Etenim hîc mihi videre & audire contigit, insignes vitæ integritate & doctrina Theologos, Iurisconsultos excellentissimos, Medicos peritissimos, Philosophos acutissimos, Oratores eloquentissimos, Historicos infinita rerum cognitione variaque lectione

præſtantiſsimos, Poëtas eximios, & linguarum omniū Profeſsores doctiſsimos. Hîc videre & audire licuit, tam inſignes viros in omni facultate ac ſcientia, non tantùm publicè docentes, verùm etiam diſputantes, ac de rebus grauiſsimis, quotieſcunque in actu aliquo publico, aliáue celebritate ſeſe offerebat occaſio, diſertiſsimè perorantes. Hîc videre licuit, tam præſtantes eruditione viros, tum pietate erga Deum, tum mutuis inter ſe beneuolentiæ officiis ſic certantes, vt ſi aliud nihil agerent, exemplo ſaltem ſuo iuuenes docere, ac ad res optimas inſtituere atque incitare viderentur.

Quæ omnia (Licet ego poſt Dei Opt. Max. veræque & Catholicæ pietatis curam, hiſtoriarum & Oratoriæ, cum Iuris Romani ſcientia coniuncta ſtudia, mihi præcipuè propoſita habuerim) non potuerunt me non maximoperè delectare, tum ob mirificam rerum

in

in publico propoſitarũ varietatem, quæ ipſa per ſe animum audiẽtis recreat, tum etiam propterea, quod in ſingulis animaduerti potuit, quanto quisque ſtudio, quanta induſtria, quantoq́ue conatu in exornanda & excolenda facultate ſua laboraret atque eniteretur.

Sanè quod ad mea, quæ mihi præcipua fuiſſe dixi, Iuris Romani ſtudia attinet, eos hîc viros ac Præceptores ſum nactus, qui me in his non tantùm publicè docendo, ſed etiam priuatim inſtruendo fideliſsimè inſtituerunt. Quorum diligentia & ſtudio id pariter effectum eſt, vt aliquoties in publicis diſputationibus opponendi, demùm etiam in Practico illo Iuris Conſiſtorio ante nonnullos annos hîc inſtituto me exercendi, in Auditorio Papiniani honeſtiſsimus locus mihi datus fuerit. Quibus & alia felicitas acceſsit, quod nimirum ad interceſsionem Magnifici & Nobilis viri Domini Chriſtophori Elſenhameri in Hamerſperg,

merſperg,

merſperg, Iuris vtriuſque Doctoris & Ill^mi. Bauariæ Ducis Conſiliarij ſecretioris & Cancellarij digniſsimi, recipi me contigit in conuictum Excellentiſsimi Iuriſconſulti, D. Nicolai Euerhardi, cuius familiari & quotidiana conſuetudine per quinquennium integrum ita ſum vſus, vt ego illum quaſi alterum parētem colerem, ipſeq́ue me viciſsim vti filium diligeret. Huius autem viri paterna cura & ſollicitudine quantum adiumēti ſtudiis meis, atque adeò totius vitæ meæ rationi allatum ſit, tempus aliquando manifeſtabit. Neque enim ipſe pateretur ſi ea de re prolixam laudationem hîc inſtituere vellem. Hoc ergo vel vnicum modo ſufficiat, quod in manibus ac præ oculis hîc iacet, Theſes nimirum iſtæ Iuridicæ, ex pulcherrima de Regalibus Summi Principis materia depromptæ, quas vt priuſquam ex hac Academia in Italiam proficiſcerer priuato ſtudio colligerem, & publicè demùm ſub ſuo Præſidio ad diſpu-

diſputandum proponerem, ipſe mihi autor, ſuaſor, & adiutor extitit.

Cum igitur iam tempus inſtaret, vt Theſes iſtæ publicarētur, ſtatim animum meum ſubiit memoria ſummæ gratiæ, beneuolentiæ, & beneficiorum ab Illuſtriſs. Cels. & Ampliſsimis DD. VV. mihi ſæpius exhibitorum. Quare vt meam viciſsim erga Illuſt. Cels. Ampliſsimasque DD. VV[as.] teſtarer gratitudinem ac bene merendi ſtudium, volui vt eædem Theſes ſub Patrocinio & Clientela Illuſt. Cels. Ampliſsimarumque DD. VV[rum.] in lucem prodirent. Quas proinde Ill[æ.] Cels. Ampliſsimisque DD. VV. ſub huius noui anni initium Strenæ loco tranſmitto, humiliter & enixè petens, vt Illuſt. Cels. Ampliſsimæque DD. VV. hoc quicquid eſt exigui laboris, benignè & gratiosè ſuſcipere, meque in poſterum, (vti hactenus fecerunt) ſua gratia, fauore, & amore complecti dignentur.

B Feli-

Felicissimè valeant Illust. Cels. Amplissimæque DD. VV. quibus me humilimè ac studiosissimè commendo. Ingolstadij ipsis Calendis Ianuarij. Anno M. D. LXXXIIII.

Illust. Cels.

**Amplissimarumque
DD. Vestrarum**

***Humilimus ac
Studiosiss.***

**Ferdinandus Khuen
à Belasi, Baro in
Nouo Lempach.**

VERBA TEXTVS TITVLI LVI. QVÆ SINT REGALIA. In vsibus Feudorum.

REGALIÆ, ARMANDIÆ, *via publicæ, flumina nauigabilia, & ex quibus fiunt nauigabilia, portus, ripatica, vectigalia, quæ vulgò dicuntur telonia, monetæ, multârum pœnarúmque compendia, bona vacantia, & quæ vt ab indignis legibus auferuntur, nisi quæ specialiter quibusdam conceduntur; & bona contrahentium incæstas nuptias, condemnatorum, & proscriptorum, secundum quod in nouis cõstitutionibus cauetur: angariarum, parangariarum, & plaustrorum, & nauium præstationes, & extraordinaria collatio ad felicißimam Regalis numinis expeditionem:*

poteſtas conſtituendorum Magiſtratuum, ad iuſtitiam expediendam: argentariæ, & palatia in ciuitatibus conſuetis, piſcationum reditus, & ſalinarum, & bona committentium crimen Maieſtatis, & dimidium theſauri in loco Cæſaris inuenti non data opera, vel loco religioſo: ſi data opera totum ad eum pertineat.



THESES

THESES EX MATERIA DE REGALIBVS COLLECTÆ.

I.

CVM INTER CÆTERA Iura, quæ ad conseruandum Reipub. statum, eiusdemq; onera subleuanda spectant, non minimum imò principem quasi locum obtineat Ius Regalium, eò quòd circa res maximi momenti versetur, neminem credimus dubitaturum, quin hæc de Regalibus materia dignissima sit, quæ publicè ad disputandum proponatur.

CAP. I.

DE REGALIBVS IN GENERE, quæ, & cuius illa sint, & vnde originem traxerint.

II.

REGALIA SIVE REGALIum nomen multiplex est, & varia passim significat. Quãdoq; enim hoc no-

mine comprehenduntur feuda omnia, Imperatoris seu Regis beneficio concessa. Quandoque solùm feuda Regalia maiora, cuiusmodi sunt Ducatus, Comitatus, Marchiæ. Interdum Ecclesiastica duntaxat maiora & primaria beneficia, qualia sunt Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatiæ, & similes Prælaturæ, huius nominis appellatione veniunt, propterea quòd olim solius Regis concessione ac munere conferebantur. Interdum hoc nomine significatur Ius ipsum atque autoritas, Regalia feuda, beneficia, cæteraque Iura fiscalia, conferendi. Denique etiam Regalium vocabulo significantur insignia, & ornamenta Imperatoriæ siue Regiæ inaugurationis, qualia sunt Corona, Sceptrum, Regia indumenta, Globus aureus, & similia in his vsurpari solita.

III.

Nobis tamen hoc loci animus non est, singulas istas significationes latiùs persequi, cùm disputatio nostra de illis tantùm Iuribus Regalibus sit instituta, quæ per Imperatorem Fridericum recensentur in tit. Quæ sint Regalia.

IIII.

Regalia igitur, de quibus hîc acturi sumus, illa sunt Iura, quæ Imperatori Romano concessa & reseruata sunt in signum supremæ potestatis

tis ac præeminentiæ, & in præmium immensi laboris, curarum & sollicitudinum, quas pro Romano Imperio eiusq; pace & tranquillitate conseruanda sustinet.

V.

Et dicuntur Regalia à nomine Regis, propterea quòd Feudistæ Imperatorē vt plurimum Regem appellant, eo procul dubio moti, quod Fridericus Imperator Romanorum, autor tituli Quæ sint Regalia, idem etiam Rex fuit Siciliæ, eumq; titulum & constitutionem suam in illo quoque regno edidit & publicari fecit.

VI.

Hæc porrò Iura Imperatori Romanorum vt summo Principi reseruata, partim solam eius dignitatem ac supremam potestatem respiciunt, qua nimirum ipse solus facere potest, quod nulli alij permissum est. Qualia sunt legitimare spurios, creare Tabelliones, famæ & honoribus restituere, & alia similia, De quibus pariter à nobis hîc nihil dicetur. Latissima quippe est Summi Principis potestas.

VII.

Alia verò sunt quæ vtilitatem Imperatoris & fiscum eius præcipuè concernunt, Qualia sunt quæ habentur in tit. Quæ sint Regalia in v-

sib.

lib. Feud. Et de his principaliter hæc nostra instituta est disputatio.


VIII.

Causa autem introducendi hanc reseruationem Iurium Regalium pro summo Principe, fuit ea partim, vt emolumenta quæ inde ad fiscum Imperatoris perueniunt, essent quasi præmium quoddam, pro curis & laboribus quos Reipub. causa & pro iustitia subditis administrãda sustinere cogitur, partim verò vt huiusmodi Iura & ex eis prouenientia commoda, aliis fiscalibus Imperatoris redditibus coniuncta, nerui essent, ad ferendum onera, & procurandum necessaria quæque pro defensione Imperij ac subditorum eius, & conseruatione securitatis ac tranquillitatis in Republica & Imperio Romano.

IX.

Qua autem ratione ista Regalia ad Imperatorem Romanorum spectant, eadem & ad alios Reges ac Dominos superiorem non recognoscentes pertinent, sicut etiam de consuetudine seruari videmus.

CAP.



CAP. II.

INTER REGALIA QVÆ numerentur.

X.

INTER REGALIA IGItur hæc primo loco recenſentur Armandiæ, cuius vocabuli variæ per DD. adducuntur ſignificationes. Sed nos hoc loci exiſtimamus Armandias intelligi de armamentariis publicis, quæ (licet barbaro vocabulo) ſic dictæ fuerunt ab hominibus ſeu militibus armandis, quòd in iſtis armamentariis militibus in expeditionem mittendis arma idonea tradebantur, itaque milites armabantur. I.

XI.

Secundo viæ publicæ, quæ ſunt in ſolo publico, & per quas iter patet vniuerſis hominibus ac toti populo, inter Regalia numerantur. II.

XII.

Publicæ autem ad differentiam priuatarum viarum dicuntur. Iſtæ enim non ſunt de Regalibus, ſed Iuris priuati eorum, quorum gratia ſunt conſtitutæ.

C Co-

XIII.

Cognoſcuntur autem viæ publicæ à priuatis ex eo, quando vtrumq; caput, ſiue vtraq; extremitas viæ pertingit ad aliam viam publicam, quod in priuatis non fit, vbi ſemper vna ſaltem extremitas ad priuatum locum tendit.

XIIII.

Porro cùm viæ publicæ ad eum ſpectent, qui habet Regalia in illo loco, conſequens eſt, vt ad eum, qui Regalia habet, ſpectet etiam cognitio & punitio delicti in via publica commiſsi, licet alioquin Territorium eius regionis pertineat ad alium.

XV.

Quemadmodum etiam ad ipſum pertinet curare, vt viæ ſint tutæ à latronibus & malefactoribus.

XVI.

Et cogitur etiam emendare damnum, ſi quod in via tranſeunti illatum eſt per prædones.

XVII.

Si tamen id contigerit in via ſolita & communiter vſurpata; aliâs ſi quis per inſueta loca tranſiens damnum à prædonibus acceperit, do-

minus

minus ad quem Regalia ſpectant, id emendare non tenetur.

XVIII.

Tertio, item flumina Nauigabilia, & ex quibus fiunt nauigabilia, ſummo Principi ſunt reſeruata. III.

XIX.

Quod eſt intelligendum de fluminibus publicis. Nam priuata à cæteris rebus priuatis, nihil differunt.

XX.

Numerantur autem hæc inter Regalia ratione ſupremæ iuriſdictionis, quam Imperator vel Rex in his peculiariter ſibi reſeruatam habet.

XXI.

Abſque enim ipſius permiſsione in flumine publico nihil facere & ne aquam quidem ipſo vetante ducere licet.

XXII.

Ratione verò defenſionis, ſeu protectionis (vt quidam volunt) flumina publica de Regalibus non ſunt, cum hac ratione inſpecta plurima alia de Regalibus cenſeri deberent, quæ tamen inter Regalia nemo vnquam numerauit.

XXIII.

Nec ratione proprietatis ad Imperatorem vel Regem ſpectantis (vt exiſtimauerunt alij) cùm verius ſit proprietatem publicorum fluminum eius eſſe populi vbi fluunt.

XXIIII.

Nihilominus tamen vſus horum fluminum publicus eſt, quemadmodum & Mare, littora maris, ac fluminum ripæ, in publico ſunt vſu, & æquè omnibus patent, vtcunque proprietas & Regalia fluminum publicorum ad alios ſpectent.

XXV.

IIII. Quarto & portus inter Regalia numerantur, eadem ratione, qua flumina.

XXVI.

Licet enim portus publici ſint, & proprietates eorum eius ſint populi, vbi ſunt portus.

XXVII.

Tamen Imperator in his ſibi ſpecialiter habet reſeruatam ſupremam iuriſdictionem, ita, vt non minus circa portus, quàm circa flumina diſponere poſsit.

XXVIII.

Nec minima huius reſeruati Iuris vtilitas eſt,

eſt, ipſum vectigal, quod ſoluitur non tantùm in portu, ſed etiam in tranſitu per pontem, quod appellatur portorium, & ſpectat ad ſupremum Principem, tanquam Ius Regale.

XXIX.

Niſi vel ipſius Imperatoris conceſsione vel præſcriptione ſit aliis acquiſitum.

XXX.

Eſt autem portus ex Vlpiani deſcriptione, concluſus locus, quo importantur merces & inde exportantur, vbi & ſtatio nauium eſt concluſa atque munita, vt à ventis ſint tutæ.

XXXI.

Quinto deinceps Ripatica (quæ nihil aliud ſunt, quàm gabellæ quædam, ſeu vectigalia, quæ riparum ratione perſoluuntur) ad Imperatorem Regalium iure pertinent. V.

XXXII.

Quanquam enim riparum vſus ſit publicus, ipſius autem ripæ proprietas eorum dominorum, qui iuxta ripas prædia poſsident.

XXXIII.

Adeò quod et arbores in ripis natæ, & fructus ex eis prouenientes ſint eorum dominorum, quorum prædia ripis adiacent.

XXXIIII.

Et poſsit etiam dominus prædij, in ripa iuxta prædium ſuum ædificare volentem, prohibere ne ædificet, vel iam ædificatum propria authoritate deſtruere.

XXXV.

Attamen conſtitutum & introductum eſt, vt vectigalia certa riparum quoq; nomine præſtentur à nauigantibus, eaq; ad ſummum Principem, hoc eſt, Imperatorem ſpectent.

XXXVI.

Et dicuntur ripatica à ripis, quæ flumen arctant, inque naturali rigore curſus ſui tenent.

XXXVII.

Differuntq; à litore, quod litus eſt Maris, Ripæ autem ſunt fluminum.

XXXVIII.

Et quod Litorum proprietas ad neminem priuatim pertinet, ſed eius eſt Iuris, cuius eſt & mare, & quæ ſubiacet mari, terra vel arena. Riparum verò proprietas eſt eorum, qui prope ripam prædia poſsident.

XXXIX.

VI. Sexto, vectigalia quoq; ſiue Telonia Summo

mo Principi reſeruantur, & ad ipſum ſolum ſpectant.

XL.

Vectigal autem propriè quidem dicitur, quod præſtatur Fiſco Imperatoris vel Reipub. pro mercibus, quæ importantur & exportantur.

XLI.

Sed generalius publica vectigalia accipimus de omnibus iis, ex quibus vectigal Fiſcus percipit, quale eſt vectigal portus, vel venalium rerum, Salinarum, Metallorum, & Piſcariarum.

XLII.

Nemo igitur alius, quàm ſolus Princeps, ſiue Imp. Romanus vectigalia imponere poteſt.

XLIII.

Idq; non aliter, niſi rationabili ex cauſa publicam vtilitatem & neceſsitatem reſpiciente facere debet, alioquin mortaliter peccat.

XLIIII.

Tantoq; minus Imperator aliis inferioribus concedere debet nouorum vectigaliũ impoſitionem, vel veterum auctionem, niſi cauſa cognita publica vtilitas hoc poſtulare videatur.

XLV.

Si aliter fiat, tunc & concedens & impetrans

trans noua vectigalia mortaliter peccant, cum hoc casu agentes & consentientes in pari sint culpa, pariq; pœna plectantur.

XLVI.

Officialis autem à Principe ad exigendum tale vectigal constitutus, absq; scrupulo conscientiæ id exigere potest. Ipse enim in perquirēda causæ iustitia, curiosus esse non tenetur, sed præsumere potest factum per Summum Principem esse iustum.

XLVII.

Nisi omnino Notorium esset, vectigal sine iusta causa impositum, idq; exactor certò sciret, tunc enim exigendo eiusmodi vectigal ipse quoq; peccaret.

XLVIII.

Sine permissu autem Imperatoris noua vectigalia imposita, vectigalia licita non sunt, etiamsi decreto alicuius ciuitatis, vel à præside, vel curia fuerint constituta.

XLIX.

Dicunturq; noua vectigalia etiam tunc, cùm vetera augentur, ideoq; sine licentia Imperatoris aucta non valent.

Quin

L.

Quin & tales, vectigalia noua sine permissu Imperatoris instituentes, vel augentes, Lege Iulia de ambitu, Itemq; Lege Iulia de vi publica (si per vim exigant) tenentur, & aquæ & ignis interdictione siue deportatione de Iure Ciuili plectuntur.

LI.

Et qui eiusmodi vectigalia fraudant, nihil peccant.

LII.

Sed si legitima vectigalia quis fraudauerit, tunc res, pro quibus vectigal erat soluẽdum, nec fuit solutum, in commissum incidunt, hoc est, dominium illarum statim amittitur & Fisco acquiritur.

LIII.

Quanquam possessio per sententiam Iudicis domino aut vectori sit aufferenda, non propria authoritate inuadenda.

LIIII.

Fraudare autem vectigal non is tantùm dicitur, qui res vectigales non profitetur, sed etiam, qui per viam transuersam & insolitam defert merces, vt vectigal fraudet.

LV.

Et ſufficit tunc, quod quis à via ſolita deflectere cœperit: Nam talis pro fraudatore habetur.

LVI.

Niſi docere quis poſsit, ſe non fraudandi gratia, ſed ob hoſtium, vel latronum probabilem timorem, aut aliam ob iuſtam cauſam à via recta diuertiſse.

LVII.

VII. Septimo præterea & Monetæ, hoc eſt, Ius formandæ & cudendæ Monetæ ad ſolum Imperatorem ſpectat, & eſt de Regalibus.

LVIII.

Peſsimè igitur faciunt, qui Regalia non habentes, nihilominus Monetas cudunt, Non enim veram, ſed adulterinam Monetam faciunt, ideoq; impuniti non relinquuntur.

LIX.

Grauius autem illi delinquunt, qui falſam Monetam ſub alieno titulo aut imagine cudunt. Proindeq; Iure Ciuili acerbiſsimæ in eos pœnæ ſunt conſtitutæ.

LX.

Nam qui de nouo ſub imagine, aut titulo Impe-

Imperatoris falſam Monetam formauerint, hi flammarum ęxuſtionibus mancipantur, & ita communiter intelligi ſolet tex. in L. ij. C. de falſa Mone.

LXI.

Qui verò ſub titulo inferioris ab Imperatore, puta Principis alicuius, vel Ciuitatis falſam Monetam de nouo cudunt, hi capitis ſupplicio afficiuntur, ſicut à pleriſq; accipitur tex. in L. 1. C. de falſa Mone.

LXII.

Quod nos contra Ioannem Cremonenſem & quoſdam alios accipiendum exiſtimamus de pœna mortis naturalis eiuſmodi delinquentibus infligenda, non autem de pœna capitali citra mortem (vt idē Ioannes volebat) nam expoſitioni ipſius verba d. L. 1. omnino repugnant.

LXIII.

Domus quoq; vel fundus, in quo huiuſmodi ſcelus perpetratum eſt, Fiſco vendicatur, cum diſtinctione tamen, de qua in d. L. 1. C. de fals. Mone.

LXIIII.

Nouis autem Sac. Rom. Imp. conſtitu-

tionibus pœnalibus Art. C X I. approbatur prima Azonis opinio, & vltima (quæ Azoni consentit) relata per Glosſ,in d. L. ij. C. de fals. Mone. quod ſcilicet falſam Monetam de nouo cudentes, abſq; diſtinctione an ſub Cæſaris, vel alterius Principis, aut ciuitatis titulo eam formauerint, flammis exurantur. Quam interpretationem vt veriorem & conſuetudine approbatam, nos quoque ſequimur, licet communis illa paulò antè relata (ſepoſita authoritate Carolinæ conſtitutionis) iuxta terminos veteris Iuris Ciuilis facilè etiam defendi poſsit, præſertim ſi diſtinguatur inter Monetam auream & argenteam, vel æream, aut argenteam ære permixtam.

LXV.

Illis etiam, qui Monetas de nouo non cudunt, vel formant, ſed iam formatas radunt, aut tondunt, ſiue alia quacunq; ratione, aut ingenio diminuunt, quiue Monetas tingunt, Iure Ciuili Romanorum, ſi perpetrantes ſint liberi, ea imponitur pœna, vt ad beſtias damnentur, ſin autem ſint ſer. ſummo ſupplicio afficiantur.

LXVI.

Cuius delicti pœna iuxta Carolinas conſtitutiones d. Art. C X I. hodie in Imperio eſt extraordinaria & arbitraria, quæ pro delicti qualita-

litate etiam ad pœnam vsq; mortis naturalis inclusiuè extendi potest.

LXVII.

Eademq; pœna manet eos, qui scienter & dolosè falsam Monetam expendunt. Licet enim Carolina constitutio præallegata in hos quoque flammarum supplicium statuat, nos tamen eam ad terminos veteris Cæsarei Iuris reducendam & interpretandam censemus, Ita videlicet, vt Iudex tam grauem pœnam nunquam arbitretur, nisi delicti magnitudo hoc postulare videatur.

LXVIII.

Ad hæc octauo loco mulctarum, pœnarumq; compendia Regalibus adnumerantur. VIII.

LXIX.

Vnde infertur, quod vbicunque per legem mentio fit, de aliqua mulcta, vel pœna pecuniaria, neque exprimitur, cui illa sit applicanda, tunc in dubio illa ad Fiscum Imperatoris pertineat, cum declaratione tamen, de qua per Bart. in L. agraria. ff. de termi. moto.

LXX.

Hoc autem de seuerioribus & illis quidem mulctis est intelligendum, quas Iudex principaliter ob criminis castigationem delinquentibus

 impo-

imponit. Sed quas quisque Magistratus etiam merum Imperium non habens ad defensionem Iurisdictionis suæ contemptoribus indicit, hæ non ad Imperatoris Fiscum, sed ad ipsum Iudicem, vel ad quos de speciali Iure, aut consuetudine pertinuisse noscuntur, etiamnum spectant.

LXXI.

Etsi verò Labeo I. C. nihil interesse putauerit inter mulctam & pœnam, attamen rectè in hoc à Paulo fuit reprehensus, qui in L. si qua pœna 244. ff. de verborum significat. tres notabiles inter hæc ponit differentias.

LXXII.

Quarum prima est, quòd de pœna lege constituta prouocatio nulla est, At mulctæ prouocatio est.

LXXIII.

Altera differentia est, quòd pœnæ singulorum delictorum certæ à legibus sunt constitutæ, Mulctæ verò non sunt certò definitæ, sed Iudicis potestati & arbitrio relictæ, sic tamen, vt modum in mulctando Iudex non excedat.

LXXIIII.

Quod declaramus, vt procedat, si de Iure ordinario

ordinario quæratur, ſecus verò eſt, ſi agatur Iure extraordinario (prout hodie vt plurimum fieri ſolet) nam tunc pœna eſt arbitraria Iudici, ita tamen, vt neque in aggrauanda, neq; in mitiganda pœna moderationem excedat.

LXXV.

Tertia eſt, quod mulctæ impoſitio nulla eſt, niſi is eam dixerit, cui dicere licet, hoc eſt (quemadmodum Vlp. declarat in L. aliud eſt fraus 131. ff. de verb. ſignif.) niſi eam dixerit is Magiſtratus, cui iudicatio publicè data eſt, quiq; publicè iudicium exercet, quales ſunt Conſules, Præſides prouinciarum, Prætores, ac ſimiles: pœnam autem irrogare quisq; poteſt, cui certi alicuius criminis executio competit.

LXXVI.

Quartam differentiam addit Vlpianus in d. L. aliud eſt fraus, quod mulcta ſpecies eſt, pœna verò generale nomen, ita quidem, vt omnis mulcta ſit & pœna, ſed non omnis pœna eſt mulcta.

LXXVII.

Idem Vlpianus & quintam differentiam ponit, quòd mulctæ animaduerſio ſit pecuniaria, pœna autem non tantùm pecuniaria, verùm & capitis, & exiſtimationis eſſe ſoleat.

Nono

LXXVIII.

IX. Nono inſuper bona vacantia Fiſco Imperatoris reſeruata ſunt ex L. Iulia, quam Vlpianus I. C. in ſuis fragmentis Caducariam vocat.

LXXIX.

Quò loco bona vacantia intelligimus illa, quibus poſt mortem nullus hæres exiſtit, hoc eſt, vbi deficiunt aſcendentes, deſcendentes, agnati, cognati, aut alij legitimi ſucceſſores.

LXXX.

Hocq; nomine bona vacantia differunt ab hæreditate iacente. Nam licet in bonis hæreditatis iacentis, nondum appareat aliquis hæres, ſpes tamen & expectatio eſt, aliquem ex legitimis ſucceſſoribus hæreditatem aditurum. Sed vacantia bona tunc eſſe dicimus, quando futuri alicuius hæredis nulla ſpes amplius ſupereſt.

LXXXI.

Quod etiam Ius porrigitur ad Collegium deficiens, nam illo diſſoluto abſq; ſucceſſoribus, bona quæcunque Collegium habuit, deuoluuntur ad Fiſcum.

LXXXII.

Iſtaq; deuolutio & translatio ad Fiſcum Imperatoris, fit ipſo Iure, adeò, vt neceſſaria non

ſit

ſit aditio, ſed ſtatim atq; bona vacant, dominiū m eorum Fiſco acquiratur.

LXXXIII.

Poſſeſsio autem Fiſco non quæritur, niſi facta per Fiſci Officiales incorporatione & occupatione eorundem bonorum.

LXXXIIII.

Ac tunc quidem Fiſcus bona eiuſmodi capit non vt hæres hæreditatem, ſed vt Fiſcus bona vacantia.

LXXXV.

Ex quo infertur, quòd Fiſcus etiamſi inuentarium non fecerit, tamen non teneatur Creditoribus defuncti vltra vires occupatorum bonorum.

LXXXVI.

Quanquam teneatur ad præſtandum & ſubeundum ea onera, ad quæ bonorum ſuorum nomine tenebatur is, cui Fiſcus ſucceſsit.

LXXXVII.

Nec debet Fiſcus, aut eius Officiales, cùm per delatores bona vti vacantia Fiſco nunciata ſunt, in ea continuò inuolare, ſed proclamationem, ſeu denunciationem, ſiue citationem aliquam in publico ante omnia proponere, vt ſi

quis forte sit, qui ad defuncti successionem Ius sibi competere existimet, is intra terminum competentem ad hoc præfixum compareat, ac de Iure suo legitimè doceat.

LXXXVIII.

Fiscum etenim non decet afferre præiudicium ex occupatione bonorum illis, qui alioquin vel ex testamento, vel ab intestato quocunq; Iure succedere possent defuncto.

LXXXIX.

Postquam verò tempus præstitutum in proclamate effluxit, tunc demum regulariter omnes successionis Ius prætendentes habentur pro exclusis, ita, vt Fisci Officialibus libera sit facultas ea bona, quæ apparent vacantia, occupandi, & Fisco Imperatoris incorporandi.

XC.

Præter tamen eas personas, quæ ad successionem defuncti, siue ex testamento, siue ab intestato vocantur (inter quas vltimo gradu collocari solent vir & vxor) non pauci alij reperiuntur, qui Fiscum bona tanquam vacantia occupare volentem excludunt.

XCI.

Namque aliquo mortuo ex Doctoribus vnius

vnius Collegij absq; hæredibus, ad ipsũ Collegium Doctorũ excluso Fisco bona eius deferũtur.

XCII.

Sic studioso absq; hæredibus in vniuersitate defuncto, ad bona eius vniuersitas admittitur, Fisco excluso.

XCIII.

Idem dicendum est de aliis Collegiis licitis, de quibus plura exempla ponuntur in L. 1. & toto tit. C. de hæred. decurio. vbi Bald. & alij ad multa similia idem extendunt.

XCIIII.

Sed & tutor pupillo sine hæredibus mortuo, Fiscum à pupilli successione excludit.

XCV.

Ciuitas autem ciue suo absq; hæredibus defuncto, ad bona eius non admittitur, sed ad Fiscum illa pertinent.

XCVI.

Deniq; & ob temporis cursum Fiscus à petitione bonorum vacantium excludi potest, per bonorum possessores.

XCVII.

Sed hoc variè. Nam siquidem Fisco denunciata fuerunt bona, & debitor à denunciatione

deſtitit, tunc quadriennio à tempore nunciationis elapſo, poſſeſſor eſt tutus contra omnes deferre volentes. Nec quæritur, vtrum cum titulo, aut bona fide poſsideat, niſi primus delator fuerit præuaricatus.

XCVIII.

Sin autem Fiſco bona non fuerint nunciata, tunc per eum, qui non poſsidet cum titulo & bona fide, non aliter excluditur Fiſcus, quàm ſpatio viginti annorum, computando ex eo tempore, quo bona vacare cœperunt.

XCIX.

Quòd ſi quis cum titulo & bona fide ea poſſideat, tunc eiuſmodi bona præſcribuntur tempore communi in præſcriptionibus definito, hoc eſt, ſi mobilia ſunt ſpatio trium annorum, ſi immobilia decem annorum.

C.

X. Decimo reſeruantur ſummo Principi ea, quæ quibuſdam vt indignis per leges auferuntur.

CI.

Quæ bona Vlpianus in fragmentis ſuis ereptitia vocat, eò quòd indignis eripiantur & ad Fiſcum transferantur.

Hæcq;

CII.

Hæcq; multum differunt à Caducis, Nam Caduca bona ſunt ea, quæ mortuo Teſtatore priusquam acquirantur his quibus relicta ſunt, deficiunt,

CIII.

Ereptitia verò ſunt illa quæ iam ſunt acquiſita, ſed poſt acquiſitionem rurſus vt indignis aufferuntur.

CIIII.

Præterea Caduca, licet olim ad Fiſcum quoq; pertinuerint, hodie tamen non pertinent, ſed apud hæredem remanent, cum onere tamen eis adſcripto, Iure Caducorum ex noua Iuſtiniani conſtitutione ſublata.

CV.

At Ereptitia, ſiue ea quæ vt indignis auſferuntur etiam hodie ad Fiſcum Imperatoris ſpectant,

CVI.

Ob multas verò cauſas bona vt indignis aufferuntur, & Fiſco vendicantur, De quibus integri ſunt tituli, ff. & C. de his quibus vt indig. ad quos remittimus,

CVII.

In casibus tamen nonnullis bona vt indignis ablata, non ad Fiscum pertinent sed specialiter quibusdam conceduntur.

CVIII.

Quorum vnus est, quando Legatarius, qui Testamento tutor datus est filio testatoris, tutelæ onus recusat: ei namq; vt indigno Legatum auffertur, & relinquitur filio Testatoris cuius vtilitates desertæ sunt.

CIX.

Nisi euidenter Testator expresserit, velle se dare Legatum, etiamsi Legatarius filij tutelam non administrauerit, tunc etenim Legatum huic Legatario non auffertur.

CX.

Alter casus est, cùm Legatarius vel Fideicommissarius celauit tabulas testamenti, quæ postea emerserunt in lucem. Is enim Legatum vel Fideicommissũ sibi relictum vt indignus quidem perdit, Sed huic ablatum hæredi applicatur, vel ei personæ, cuius fauorem respicit illa causa, propter quam ipsi vt indigno bona aufferuntur.

CXI.

Item si hæres rogatus restituere, non adeat hære-

hæreditatem, donec postulãte Fideicommissario per Prætorem adire ac restituere cogatur, perdit is velut indignus quartam Trebellianicam, quam aliàs deducere potuisset, eaq; ad Fideicommissarium, non autem ad Fiscum deuoluitur.

CXII.

Porro si puella Tutori vel Curatori suo aut eius filio vel Nepoti nupserit, eiq; aliquid donauerit, sic donatum vt indigno auffertur: non tamen Fisco, sed ipsi puellæ restituitur.

CXIII.

Deniq; si maritus vxorem suam occiderit, eo casu quo aliàs ipsa mortua, dos apud maritum remansura fuerat, dos ei vt indigno auffertur, & hæredibus vxoris redditur.

CXIIII.

His addunt nonnulli casum L. 1. C. de secund. nup. vbi mulieri nubenti intra annum luctus, tanquam indignæ aufferũtur omnia ea quę à primo viro titulo hæreditatis, Legatorum, Fideicommissorum, suprema voluntate relictorum, vel mortis causa donationum fuerat consecuta. Hæcque ablata hæredibus mariti vel cohæredibus aut ab intestato succedentibus vendicantur. Sed nos hanc pœnam secundò nuben-

nubentis mulieris, Iure diuino ſublatam cenſemus.

CXV.

XI. Vndecimo Fiſco Imperatoris reſeruantur bona contrahentium incæſtas nuptias.

CXVI.

Incæſtas autem nuptias ij dicuntur contrahere, qui vxorem duxerunt vnam ex his, quas legibus aut moribus prohibemur vxores ducere.

CXVII.

Qui quidem ſic contrahentes vltra bonorum confiſcationem, etiam alias pœnas legibus definitas ſuſtinent.

CXVIII.

Si tamen is, qui eiuſmodi nuptias contraxit, ex priori fortè matrimonio filium aut filios vel filias, Nepotes aut Neptes, vel Pronepotes aut Proneptes habeat, tunc illis bona patris relinquuntur, Fiſco nihil Iuris in eis ſibi vendicante, ſic tamen vt patri alimenta præſtent.

CXIX.

Quibus non extantibus bona contrahentium Fiſco applicantur.

Hæc

CXX.

Hæc autem pœna confiſcationis bonorum procedit ſolùm in eo, vel iis, qui incæſtas nuptias contrahunt.

CXXI.

Nec aliter hanc pœnam contrahentes incurrunt, niſi ſcienter contraxerint, aut poſt errorem compertum in coniunctione illicita perſeuerauerint.

CXXII.

Qui verò errore acerrimo, non affectato, ſimulatoue, neq; ex vili cauſa decepti, aut ætatis lubrico lapſi ſunt, ab hac pœna excuſantur, ſi errore comperto, vel vbi ad legitimos peruenerint annos, coniunctionem huiuſmodi ſine vlla procraſtinatione diremerint.

CXXIII.

Porro qui ſponſalia tantùm incæſta de futuro contraxerunt, iſtam pœnam non ſuſtinent niſi copula carnalis ſecuta ſit.

CXXIIII.

Similiter etiam incęſtum ſimpliciter committens, bona ſua non amittit, quanquam aliis pœnis grauiſsimis afficiatur.

F Neq;

CXXV.

Neq; ij etiam huic pœnæ ſubiacent, qui matrimonium contraxerunt in aliquo gradu vltra leges Ciuiles per Ius Canonicum prohibito, ſed his tantùm iſta pœna imponitur, qui nuptias contrahunt in gradu, quem Ius Ciuile vetat.

CXXVI.

Denique ſi per ſummum Pontificem fuerit diſpenſatum ſuper tali matrimonio, in caſu quo poteſt, iuxta tradita per D D. in c. literas. de reſtit. ſpol. Tunc culpa ſublata, ceſſat etiam pœna.

CXXVII.

Quanquam ſi diſpenſatio ſimpliciter facta ſit ſuper matrimonio, non videatur ob hoc præiudicari Fiſco, ad quem bona contrahentium ipſo Iure iam deuoluta fuerunt.

CXXVIII.

XII. Bona etiam condemnatorum ad mortem & proſcriptorum, duodecimo loco ad Fiſcum Imperatoris pertinent, Sed hoc in iis caſibus tantùm, in quibus ſecundum nouas conſtitutiones bona damnatorum publicantur.

CXXIX.

Licet enim veteri Iure pœna confiſcationis bono-

bonorum generaliter veniret imponenda omnibus illis, quibus impoſita erat pœna mortis naturalis, vel proſcriptionis aut deportationis, idq; velut inconſequentiam quandam.

CXXX.

Hodie tamen ex noua Iuſtiniani conſtitutione bona damnatorum ad ipſorum aſcendentes, & deſcedentes, vſque ad tertium gradum incluſiuè deferuntur.

CXXXI.

Quod Irnerius in auct. bona damnatorum. C. de bon. proſcript. etiam ad collaterales intra quartum gradum exiſtentes, producendum exiſtimauit, quanquam Iuſtiniani conſtitutio de collateralibus nullam prorſus mentionem faciat. Iſtaque Irnerij ſententia communiter à Doctoribus recepta eſt.

CXXXII.

Vxores quoque dotes ſuas, & quod dotis loco ſuccedit, item donationes propter nuptias, ex damnatorum bonis conſequuntur.

CXXXIII.

Supradictis verò perſonis deficientibus damnatorum bona Fiſco applicantur.

De crimine autem læsæ Maiestatis damnati bona, statim Fisco vendicantur, exclusis etiam filiis seu liberis eius.

CXXXV.

Idemq́; obtinet si quis de hæresi damnatus fuerit.

CXXXVI.

XIII. Supradictis Regalibus decimo tertio annumerantur quoq; angariæ, parangariæ plaustrorum, nauiumq́; præstationes.

CXXXVII.

Sunt autem angariæ non onera personalia, vti malè quidam interpretati sunt, sed patrimonalia siue realia.

CXXXVIII.

Et dicuntur angariæ, præstationes iumentorum, plaustrorum, nauium, aliarumq́; operarum extraordinariarum, quæ prouincialibus aut militibus imponuntur in transuectione armorum, aut aliorum quorumq; onerum, causa publicæ necessitatis.

CXXXIX.

Parangariæ verò eadem planè onera easdéq; præstationes continent, & in hoc solùm ab an-

angariis differunt, quod angaria eſt, qua curſus publicus dirigitur, ſed parangaria cum alio verſum huiuſmodi onera exiguntur.

CXL

Additur decimo quarto & extraordinaria collatio, ad feliciſsimam regalis numinis expeditionem. Quod Ius eiuſmodi collationem exigendi, ſummo tantùm Principi competit & reſeruatum eſt. XIIII.

CXLI.

Vbicunque enim ordinarij redditus non ſufficiunt pro ſtatu Imperij conſeruando, nec Imperator habet de ſuo proprio, vnde difficultatibus & neceſsitatibus Rempub. vrgentibus occurrere queat, tũc extraordinariam collationem, ſiue (vt DD. loquuntur) collectam, aut ſubuentionem ſubditis imponere poteſt.

CXLII.

Quemadmodum & cùm Imperium ab hoſtibus inuaditur, aut probabilis timor ſubeſt, alicuius ſubitaneæ aut improuiſæ inuaſionis, poteſt Imperator omnes ad pugnam aptos, pro modo inſtantis periculi ad arma & Imperij defenſionem euocare.

CXLIII.

Eademq; ratione & cùm alij caſus de nouo

emergunt, propter quos communis vtilitatis gratia neceſſum eſt, maiores expenſas facere, Vel cùm tractatur de honeſto ſtatu Principis conſeruando, cui redditus ordinarij & conſuetæ collationes ſiue indictiones non ſufficiunt, licet extraordinarias collationes à ſubditis exigere.

CXLIIII.

Moderatio tamen & æqualitas conueniens in his maximè tenenda eſt, ſummeq; cauendum iuſto Principi, ne ſub prætextu neceſsitatum publicarum ſubditi nimium grauentur.

CXLV.

Viciſsim autem non eſt ferenda quorundam ſiue malitia, ſiue proteruia, qui cùm à ſuperiore ſubuentio ſeu extraordinaria collatio exigitur, nullam ſubeſſe iuſtam cauſam, ſed præter neceſsitatem ſubditos excoriari clamitant. Huius enim rei cognitio non ad ſingulos, neque ad multos, ſed ad vniuerſos pertinet, qui non niſi maxima & euidentiſsima ex cauſa, huiuſmodi collationes recuſare poſſunt.

CXLVI.

Nec iuuantur ſubditi allegantes priuilegia ipſis conceſſa ſuper immunitate indictionum ſiue ſuperindictorum. Quoniam hæc ab ex-

traor-

traordinariis istis collationibus, quæ ex nouis & inopinatis casibus emergere solent, ipsos non eximunt, cùm de his per dantem priuilegia non censeatur fuisse cogitatum.

CXLVII.

Decimo quinto potestas constituendorum Magistratuum ad iustitiam expediendam de reseruatis est summo Principi. XV.

CXLVIII.

Cùm enim potestas hæc olim apud populum Romanum fuerit, is autem lege Regia omne imperium & potestatem suam in Principem Romanum transtulerit, simul etiam potestas hæc creandorum Magistratuum ad ipsum transiuit.

CXLIX.

Etsi vero apud alios quoque inferiores ab Imperatore Principes, Duces, Comites, Barones, aliosque dominos merum & mixtum imperium vna cum iurisdictione, & Ius creandorum Magistratuum & Officialium esse videamus, tamen Magistratus & Officiales ab his constituti, iurisdictionem ab Imperatore habere censentur.

Apud

CL.

Apud ipſum enim Imperatorem eſt,& manet iuriſdictio tanquam apud fontē, ex quo fluunt & refluunt omnes aliæ iuriſdictiones, perque ipſum tanquam caput Imperij, in omnia eius membra diffunduntur.

CLI.

Ideoq; licet Imperator alicui Iuriſdictionem dederit, nunquam tamen tantùm dediſſe videtur, quin plus apud ipſum remaneat.

CLII.

Hincq; fit, quod ſi Imperator cœpit cognoſcere de cauſa, quæ alioquin pertineret ad notionem alterius Iudicis ordinarij vel delegati, ſtatim conquieſcit & ſilet omnis alia Iuriſdictio.

CLIII.

XVI. Inter Regalia quoque decimo ſexto numerantur & argentariæ, quæ nihil aliud ſunt, quàm argenti venæ, ſeu argenti fodinæ, & ad Fiſcum Imperatoris ſpectare dicuntur, propterea quòd Imperator ex argento quod foditur, etiam in priuato alicuius ſolo, ſemper aliquam partem ſiue Canonem percipere debet.

Idemq;

CLIIII.

Idemq; cenſendum eſt de Aurifodinis.

CLV.

Sed & de aliis metallis idem iudicari ſolet de conſuetudine.

CLVI.

Canon verò Imperatoris Fiſco de metallis debitus, non ſemper vnus idemq; eſt. Nam & pro metallorum & pro temporum ac locorum diuerſitate, alius atque alius olim præſtabatur.

CLVII.

Quare in eiuſmodi Canone præſtando propria cuiuſque loci conſuetudo retinenda eſt.

CLVIII.

Illud denique affirmamus, quod Metallarij, quicquid Metallorum vltra Canonem Principi præſtitum collegerint, Fiſco eiuſdem Principis pro competenti pretio vendere cogantur, quod & hodie pleriſque in locis ſeruari, & hoc Ius inter Regalia connumerari videmus.

CLIX.

Decimo ſeptimo, & Palatia ſeu Domus XVII

aut Ædes dominicæ, in ciuitatibus constructis inter Regalia ponuntur.

CLX.

Ea etenim nemini inhabitare licet, nisi ipsi Imperatori aut Regi, vel quibus id à summo Principe concessum est.

CLXI.

XVIII. Piscationum insuper redditus decimo octauo Regalibus annumerantur.

CLXII.

Idque propterea, quoniam nemo præter summum Principem hanc facultatem habet, vt alicui soli in certa aliqua parte fluminis vel maris, piscandi Ius concedere possit.

CLXIII.

Ex quo ita concesso Iure, certa pensio constituta, redditus piscationis vocatur.

CLXIIII.

Aliàs piscandi facultas omnibus communis est, tam in mari, quàm in fluminibus.

CLXV.

XIX. Deinceps & salinarum redditus de Regalibus esse dicuntur, quoniam de his certa præstantur vectigalia, seu portiones, ad instar Metalli-

tallicorum Canonum, qui ad ſummum tantùm Principem pertinent.

CLXVI.

At de conſuetudine (quæ in his ſemper ſpectari debet) in pleriſque locis, quicquid ſalis eruitur aut coquitur vltra Canonem debitum, id ipſi Imperatori, vel Principi, qui conceſſa ſibi ab Imperatore habet Regalia, pro competenti pretio vendi debet, vt per ſuos deinde Officiales aliis rurſum diſtrahi poſsit.

CLXVII.

Viceſimo inter Regalia numerantur bona committentium crimẽ læſæ Maieſtatis: Horum namq; omnis ſubſtantia, vltra alias pœnas publicatur, & Fiſco applicatur, excluſis quoque liberis comdemnati. XX.

CLXVIII.

Maieſtas autem propriè (poſt Deum) tribuitur populo Romano, & Imperatori, in quem Lege Regia omne imperium omniſq; poteſtas translata eſt.

CLXIX.

Maieſtatis verò crimen committit is, qui hoſtili animo aduerſus Rempub. vel ſummum Principem animatus eſt, quiue aduerſus Populi Romani ſecuritatem, ſiue tranquillitatem aliquid molitur.

CLXX.

Eidemq́ crimini obnoxius eſt, qui de nece virorum Illuſtrium, & Senatorum, qui conſiliis & conſiſtorio ſummi Principis interſunt, parsq́ corporis eius cenſentur, vel cuiuslibet alterius qui à latere Principi militat, cogitauerit, & ad actum aliquem, quo cogitatum ſcelus perficeret, proceſſerit.

CLXXI.

Cuius pœna eſt, vt reus gladio feriatur, bonis eius omnibus Fiſco addictis.

CLXXII.

In filios quoque committentium hoc crimen, paterni ſceleris pœna progreditur, iuxta modum de quo in L. quiſquis C. ad Leg. Iul. Maieſt.

CLXXIII.

Sed & ſatellites, conſcij, ac miniſtri tanti criminis, eorumque filij, eiſdem pœnis ſubiacent.

CLXXIIII.

Nec ipſa etiam morte ab hoc crimine eiusque pœna Reus eximitur. Etenim niſi à ſucceſſoribus purgetur, hæreditas eius Fiſco vendicatur, & mortui quoque memoria damnatur.

Verùm

CLXXV.

Verùm hæc tum demum obtinent, vbi contra ipſam Rempub. vel ſupremum Principem, eiuſq; lateri aſiſtentes, eiuſmodi crimen attentatum eſt.

CLXXVI.

At vbi aduerſus inferiorem Principem eiuſue collaterales, alioue modo hoc crimen committitur, etiamſi id altero quoque capite Legis Iuliæ Maieſtatis contineatur, tamen delinquentis bona hæredibus non adimenda, ſed ipſum tantùm mortis ſupplicio afficiendum putamus.

CLXXVII.

Illud quoq; falſum eſſe defendemus, quod à pleriſq; traditum eſt, eum qui ſaluam guardiam aut ſaluum conductum, ſiue ſecuritatem alicui conceſſam à ſummo Principe, fregit aut violauit, in pœnam d. L. quiſquis incidere. Id enim nullo Iure probatur.

CLXXVIII.

Crimen tamẽ ipſum huiuſmodi violatoris modò atrocius, modò leuius eſſe poteſt. Vnde cũ certa pœna ſuper eo nõ ſit legibus definita, extraordinariè pro Iudicis arbitrio puniri poterit.

Eamq; pœnam Iudici, etiam vſque ad pœnam mortis naturalis incluſiuè pro criminis atrocitate extendere licebit.

CLXXX.

XXI. Ad extremum inter Regalia connumeratur pars dimidia theſauri, in loco Cæſaris non data ad hoc opera inuenti, ea namque ad ipſum Imperatorem pertinet, altera dimidia Inuentori relicta.

CLXXXI.

Quod ſi data opera quæſitus & inuentus fuerit theſaurus, totus ad Imperatorem ſpectat.

CLXXXII.

Accipimus autem hîc theſaurum, pro veteri depoſita pecunia, cuius non extat memoria, ita quòd Dominus eius ignoretur.

CLXXXIII.

Nam quod quis vel lucri, vel metus, vel cuſtodiæ cauſa ſub terra condidit, non theſaurus eſt, ſed abſcondita res, ſeu occultata pecunia, cuius proinde furtum fit, ſi ab aliquo fraudulenter contrectetur.

CLXXXIIII.

Locum quoque Cæſaris intelligendum hîc

hîc putamus, non eum tantùm qui proprius est Cæsaris, & Fiscalis, sed etiam qui publicus est, ratione autem supremæ iurisdictionis ad Imperatorem spectat.

CLXXXV.

Sanè thesaurus magica inuentus arte, etiam in proprio fundo, fit Cæsaris & Fisci.

CLXXXVI.

Absque verò magica inuentus arte in proprio agro, totus fit Inuentoris, etiamsi data opera quæsitus fuerit.

CLXXXVII.

At si quis in alieno fundo aut loco, data ad hoc opera thesaurum inuenerit, absque distinctione is totus ad Dominum fundi spectat.

CLXXXVIII.

Quod si fortuitò in agro alieno thesaurus inuentus sit, dimidia pars eius Domino agri, altera verò dimidia Inuentori cedit.

CLXXXIX.

In loco religioso thesaurum non data opera inuentum, Imperator Fridericus pro dimidia parte ad Fiscum, pro alia verò dimidia ad Inuentorem spectare voluit, approbans in hoc (contra Iustinianum Imperatorem) Diuorum

fratrum

fratrum constitutionem, relatam per Callistratum in L.iij. §. Si in locis ff. de Iure Fisci.

CXC.

Sed nos hodie religiosius facturum esse Imperatorem credimus, si partem thesauri in loco religioso inuenti, ipsi loco religioso reliquerit, altera parte inuentori concessa. Habent enim loca sacra & religiosa apud Christianos, sua quoque propria Iura, & suos Prælatos, quibus non minus deberi potest dimidia thesauri inuenti, atq; si quis in agro vel fundo alieno thesaurum inuenisset.

CXCI.

Quòd si quis thesaurum inuenit, partem autem ad alium pertinentem suppresserit, dicimus hunc furtum committere, ac proinde in conscientia ad restitutionem teneri.

CXCII.

Idemque re detecta de Iure sic punitur, vt si partem ad Fiscum pertinentem occultauerit, totum thesaurum inuentum cum altero tanto cogatur Fisco exsoluere.

CXCIII.

At si partem ad alium spectantem celauerit, nihil omnino ex thesauro consequatur, sed quic-

quicquid inuenit, Domino eius loci, in quo inuenit, reſtituere compellatur.

CXCIIII.

Addimus denique, quòd in itinere fortè aut caſu inueniens Bulgettam aut Valliſiam (vti vocant) ſiue ſacculum cum aureis, gemmis, margaritis, vel argento, ſeu quacunque moneta, etiamſi in proprio ſolo inuenerit, theſaurum inueniſſe non cenſetur, Ideoque nec totum quod inuenit, nec partem aliquam ſuam facit, ac proinde ad reſtitutionem tenetur.

CXCV.

Neque excuſatur à peccato, ſi ignoret ad quem res inuenta pertineat, Debet enim tunc publicè rem inuentam denunciari facere.

CXCVI.

Et ſi ne ſic quidem Dominus compareat, adhuc tamen bona conſcientia eiuſmodi pecunia vel res per Inuentorem teneri non poterit, niſi fortè pauper ſit, & de licentia Epiſcopi, pœnitentiarij, vel confeſſarij ſui id faciat.

CXCVII.

Sed ſi Inuentor non ſit pauper, tunc debebit hæc pecunia præſentari Epiſcopo, vel iis, qui

pauperum curam habent, vt distribuatur inter ipsos pauperes.

CXCVIII.

Et hactenus quidem de Regalibus enumeratis in tit. Quæ sint Regal. in vsib. feud.

CXCIX.

Sed vltra prædicta à nonnullis dubitatur de illo Iure venandi, quòd Principes ac magni Domini ipsis solis vendicant, cum Iure prohibendi alios, vtrum scilicet hoc Ius sit de Regalibus? Et putamus non esse.

CC.

De Collectis etiam quas Domini quidam suis subditis, & ciuitatum Rectores suis ciuibus imponere solent, Quæritur, an illæ sint de Regalibus summo Principi reseruatis? Qua in re nos distinguendum arbitramur.

CCI.

Aut enim Dominus, Ciuitas, Vniuersitas, vel vicinia, non per modum Imperij aut Iurisdictionis, quasi inuitis subditis, sed priuata autoritate, & communi decreto prouincialium Collectam imponunt, ob necessitatem communem illorum qui collectantur, & sine qua Collectam imponentes suam administrationem perficere

non

non poſſunt, puta propter diſſolutionem æris alieni, quo ciuitas premitur, vel propter expenſas faciendas in aliqua lite ob defendenda Iura Prouinciæ, Vniuerſitatis, Ciuitatis, aut viciniæ alicuius: Et tunc eiuſmodi Collecta non cenſetur de Regalibus, ideoq; etiam ſine licentia Imperatoris neceſsitate vrgente imponi poteſt.


CCII.

Imò ex cauſa neceſsitatis cogitur Vniuerſitas, vel Ciuitas, aut Municipium aliquod Collectam imponere, & ſi arcam vel burſam communem non habet, compelluntur eam facere, vt aliquid commune habeant pro communitatis neceſsitatibus ſubleuandis.

CCIII.

Aut verò tractatur de imponenda etiam inuitis ſubditis Collecta, Iure Imperij & Iuriſdictionis, abſq; neceſsitate communi, ex cauſa tantùm voluntaria, vel propter vtilitatem aliquam, puta, quia Ciuitas vult extruere domum nouam, vel facere aliquid ſimile, & tũc Collecta eiuſmodi cenſetur de Regalibus, ideoq; per inferiores Dominos, vel Ciuitates imponi non poteſt ſubditis inuitis, niſi impetrata licentia à ſummo Principe.

Denique pro complemento huius capitis ſciendum eſt, non ſic conſtringi Iura Regalia, quaſi nulla ſint, præter ea, quæ commemorantur in ſupradicta conſtitutione Imperatoris Friderici. Fatemur etenim, Imperatorem ſpecialiter & de nouo ſibi alia quoque plura reſeruare poſſe, circa quæ nouæ Imperatorum conſtitutiones, & ſtylus ſeu conſuetudo Imperialis Curiæ ſpectari debent.



CAP. III.

AN ET QVOMODO POSſint Regalia concedi, aut acquiri aliis inferioribus ab Imperatore vel Rege?

CCV.

PORRO ETSI REGALIA ſupradicta ad Imperatorē tanquam ſummum Principem pertineant, eiq́ꝫ ſoli reſeruata ſint, tanquam concernentia decus & honorem altitudinis ipſius.

CCVI.

Tantique etiam cenſeantur valoris, vt pretio numerario non videantur poſſe æſtimari.

Adcò

CCVII.

Adeò quod quidam exiſtimauerint, illa vendi aut donari non poſſe, ſiquidem eo modo vehementer debilitetur Imperium, cuius vires in iſtis potiſsimùm Regalibus conſiſtunt.

CCVIII.

Tamen receptius eſt huiuſmodi Regalia ſummo Principi reſeruata, etiam aliis inferioribus ab Imperatore poſſe acquiri, & id quidem vno ex duobus modis.

CCIX.

Primò etenim Regalia inferioribus acquiruntur per priuilegium ſeu conceſsionem Imperatoris.

CCX.

Cæterùm Imperator non niſi ex magna & vrgentiſsima cauſa Regalia huiuſmodi aliis concedere debet.

CCXI.

Priuatis verò perſonis Regalia concedi planè indignum eſt.

CCXII.

Licet conſuetudo in his plurimum poſsit, ſemperq́; ſpectari debeat.

Necessarium est autem, cùm Regalia per summum Principem alij conceduntur, vt expressè apponatur clausula, quòd concessio sit facta motu proprio, vel ex certa scientia Principis, alioqui Regalium concessio est inualida.

CCXIIII.

Vbicunq; enim in concessione Regalium omittitur illa clausula, præsumitur concessio ad postulationem partis, & per subreptionem impetrata, ideoq; non valet.

CCXV.

Sed etsi reperiantur expressè additæ hæ clausulæ, tamen Regalium concessio non valet, vel saltem reuocari potest, si ex ea Imperium seu Regnum pateretur magnam læsione.m

CCXVI.

Sicut non valet etiam concessio Regalium facta per Imperatorē priuatis personis, vltra vitā concedentis, non enim potest ipseSuccessori suo præiudicare.

CCXVII.

Hoc autem omnino ignorandum non est, quod is quiRegalia sibi à sūmo Principe cōncessa habet, non potest ea vel vnū ex illis alteri cedere.

Alter

CCXVIII.

Altermodus acquirendi Regalia inducitur ex præſcriptione temporis immemorialis.

CCXIX.

Tanti enim temporis præſcriptio habet vim tituli, priuilegij, & conceſsionis factæ à ſummo Principe ex certa ſcientia.

CCXX.

Ideoq; in hac præſcriptione ſcientiam ſummi Principis allegare aut probare, minimè eſt neceſſarium.

CCXXI.

Nunquam verò vno aut altero ex Regalibus præſcriptione acquiſito, in vniuerſum omnium Regalium Ius & exercitium competit, ſed illa tantùm præſcribens vſurpare poteſt, quæ præſcripta ſunt.

CCXXII.

Quemadmodum & aliquibus Regalibus nominatim conceſsis, illa tãtùm competunt, quæ conceſſa ſunt, cætera verò minimè.

CCXXIII.


Tantum enim dici ſolet conceſſum, quantum expreſſum, & tantum dicitur præſcriptum, quantum poſſeſſum.

CCXXIIII.

Si quis tamen bona fide ac debito tempore

plura


ercendi omnia, si & quoties sese offerret occasio, tunc putamus talem vniuersum Ius omnium Regalium pręscripsisse, licet singula specialiter per se vsurpata probare non posit.



CAP. IIII.

DE VARIIS CONCESSIONIbus, quæ à summo Principe fiunt sub varia verborum figura, deq́; earundem concessionum interpretationibus, Et quando & quæ Regalia sub singulis concessa videantur?

CCXXV.



VONIAM VERO IN concessionibus & infeudationibus Principatuum, Comitatuum, Baroniarum, Castrorum, aliorumq́; Dominiorum, varia sæpe verba vsurpantur, ideò ad formam concessionis & singula eius verba, diligentissimè est animaduertendum, vt intelligatur, quid & quantum concessum sit, & an & quatenus in concessione illa comprehendantur Regalia, vel non.

Qua

CCXXVI.

Qua in re illud initiò pro Regula conſtituendum arbitramur, quod in conceſsione quantumcunq; generali, nunquam veniunt aut conceſſa videntur Regalia, niſi ſpecialiter ſint expreſſa.

CCXXVII.

Hocq; procedit, etiamſi additum reperiatur, conceſsionem eſſe factam cum mero & mixto imperio, ac omnimoda iuriſdictione, Nam hęc omnimoda iuriſdictio non comprehendit Regalia ſummo Principi reſeruata.

CCXXVIII.

Quinimò etſi dixerit Imperator, ſe concedere caſtrum cum omnibus pertinentiis, omnique Iure, quod ipſe in eo habuit, adhuc tamen Regalia non videbuntur conceſſa, licet Imperator, in tali caſtro, Regalium Ius habuerit.

CCXXIX.

Indeq; infertur, quod Dominus aut Baro, cui tam ampla conceſsio facta eſt, non poſsit tamen noua vectigalia inſtituere.

CCXXX.

Sanè vbi tam generalis & ampla conceſsio facta eſt, tunc vectigalia quæ prius in loco, illo

non amplius censentur de Regalibus reseruatis, sed esse cœperunt de Iuribus, pertinentiis, & prouentibus castri concessi.

CCXXXI.

Similiter si qua sunt, quæ aliis quoq; cum eodem castro prius concedi sunt solita, dicimus illa comprehendi in huiusmodi amplissima concessione, licet de eis specialiter non sit facta mentio.

CCXXXII.

Et maximè hoc procedere arbitramur, si concedens se referat ad consuetudinem in similibus obseruatam, vel ad concessiones priores, aut ad eum modum, quo tenuit, possedit, & vsus est is, qui antea tale castrum habuerat.

CCXXXIII.

Quod si Imperator in concessione alicuius castri vel dominij, quædam Regalia specificè expresserit, ad illa sola concessionem restringendam esse censemus.

CCXXXIIII.

Similia verò expressis, in tali concessione non venire arbitramur.

I At

CCXXXV.

At vbi Imperator generaliter alicui concessit Regalia summo Principi reseruata, tunc ista concessio regulariter porrigitur ad omnia quæ Principis personæ cohærent.

CCXXXVI.

Tuncq; Comes, Baro, vel ij, quibus talis cõcessio facta est, possunt in comitatu, dominioq; ipsorum facere omnia, quæ potest Imperator aut Rex in Imperio vel Regno suo.

CCXXXVII.

Præsertim verò id obtinere censemus, vbi post quædam Regalia expressè specificata, in concessione subiecta est clausula generalis, tunc enim sine dubio veniunt omnia, etiam si sit maior ratio in vno, quàm in alio.

CCXXXVIII.

Multoque magis id dici debet, cùm post quædam Regalia expressa, concedens addidit clausulam vniuersalem.

CCXXXIX.

Versaq; vice, si Imperator concedens castrum in forma amplissima, quædam Regalia nominatim receperit, existimamus, eum reliqua omnia, præter excepta, concedere voluisse.

Generalis tamen illa, vel etiam specialis Regalium concessio, semper restringitur, vt solùm intelligatur valere in dominio illo, quod immediatè ab Imperio dependet.

CCXLI.

Nam si quis castrum aut dominium aliquod habeat, alteri Domino, puta Electori, Duci, aut Principi alicui subiectum, ratione superioritatis & Regalium ipsi Electori, Duci, vel Principi prius in eo competentiũ, tunc Regalium cõcessio in tali castro vel dominio nihil operatur.

CCXLII.

Præterea quantumcunq; generalis aut vniuersalis omnium Regalium per Imperatorem facta sit concessio, nunquam tamen Imperator à se abdicâsse censetur supremam iurisdictionem, quam habet vt Imperator.

CCXLIII.

Huius enim supremæ potestatis nemo inferior est capax, sed illa inseparabiliter cohæret personæ summi Principis.

CCXLIIII.

Vnde inferimus, quod si Imperio immineat aliqua noua necessitas vrgens, ob quam extraordinariam collationem vel superindictum institui oporteat, tunc Imperator huiusmodi colla-

collationem vel ſuperindictum exigere poſsit, non tantùm ab immediatis Imperio ſubiectis, ſed etiam ab iis hominibus, qui ſubſunt caſtro vel dominio, in quo alius merum & mixtum Imperium cum omnimoda iuriſdictione, & omnibus Regalibus habet, & ſic à ſubditis quoq; mediatis.

CCXLV.

A ſuperueniente enim noua cauſa, non eximitur quis per immunitatem ſibi conceſſam.

CCXLVI.

Vel poteſt Imperator ſuperindictum imponere ipſis Principibus, Comitibus, Baronibus, & aliis Dominis, vt ipſi à ſuis ſubditis hoc exigant, & Imperatori tradant.

CCXLVII.

Similiter etſi quis omnium Regalium Iura præſcriptione acquiſiuerit, tamen aduerſus ſupremam iuriſdictionem Imperatoris nihil ei prodeſt talis præſcriptio.

CCXLVIII.

Denique generalis Regalium conceſsio ſemper intelligi ſolet, de Regalibus exerceri ſolitis tempore conceſsionis, quatenus nimirum illa tendere ſolent ad grauamen ſubditorum vel aliorum.

CCXLIX.

Noua igitur vectigalia talis Dominus in-

non potest, nisi per Imperatorem de nouo sibi concessa sit licentia. Sicque seruari videmus in Praxi.

CCL.


Aliis concessionum formulis examinandis hîc supersedemus. Si enim singulas persequi voluissemus, in infinitum excreuisset disputatio. Prudens autem Lector, vbi concessio aliqua offeretur, perpendendo circumstantias personarum, rerum, locorum, verborum, & aliorum, quę in considerationem venire possunt, quid concedens senserit, quæque Regalia concedere aut non concedere voluerit, pro suo iudicio æstimabit.

LAVS DEO.


Istæ Theses quas defendet Generosus Dominus Ferdinandus Khuen Baro, &c. vtiliter procudi possunt, pro Studiosis Iurisprudentiæ.

Sic testor BARTHOLOMÆVS VISCHERVS SS. Theologiæ Doctor, Regens Collegij Georgiani, & Decanus Facultatis Theologiæ. Ingolstadij.

CAR-




CARMEN,




ILLVSTRI AC GE-NEROSO DOMINO, D. FERDINANDO KHVEN A BELASI, IN LIECHtenberg & Gartenau, Libero Baroni in Nouo Lempach, obseruantiæ & gratulâtionis ergô scriptum:

A



BVRCKHARDO VVIMPHEling L L. Studioso.






NSITVS est animis Generosis inclytus ardor,
Nobile quo nomen rectũ super æthera quõdam,
Et decus insigni partum virtute parentum, &
Gloria quam peperit, celebrẽ post secula famam,
Deniq; dispersæ latum præconia laudis,
Conseruant, titulisq; nouis & honoribus augent.
Hic amor (admirans refero) tot adire labores,
Insignes pietate viros tot voluere casus,
Impulit, incursus fortunæ & ferre potentis,
Impete quæ iuuenes vehementi concutit, alta
Quum tentare volunt, famamq; extendere factis.
Hos inter iuuenes longè supereminet vnus

Doti-

Qui titulis ſublime genus, qui ſtemmate clarum,
Nobile præclarè geſtis (quæ ſparſa per orbem
Poſtera proueniens, olim mirabitur ætas)
Et virtute refert annoſo nomen ab æuo,
Illuſtris ſplendore Baro Ferdinandus, auorum
Antiqua gaudens, qui nobilitate triumphat.
Ardua laus ſed enim, gentis clarere vetuſtæ
Dotibus, & longo censère à ſanguine ſtirpem,
Et luſtrare velut ſpeculis luculenter ab altis
Semper honorandum decus & ſublime trophæum
Maiorum, & dignos mirari laude triumphos:
Amplior at propria titulos virtute parare.
Quare KHVENIADI, ſplendor ſuperaddite genti,
O FERDNANDE quibus cœlo te laudibus æquem?
Quæ tibi digna canam vates encomia laudis?
Namq; perilluſtri, quanquam ſis ſanguine cretus,
Nomine non tamen es celebri contentus auorum:
Niteris at propriis animum virtutibus altum
Exornare tuum, ſtudiisq; requirere ſumma
Præmia perpetuæ laudis, verumq; decorem.
Et gracilis cùm iam faciem veſtiuerat ætas,
Immortale decus tenerò ſub pectore verſans
Dulce foues celebres ſolidis amplexibus artes.
Scilicet arrident, vera virtutis honores,
Sicelides Muſæ gremio quos vbere gignunt:
Ergò puer duro aſſuetus, patiensq; laboris
Pergis inacceſſa, bifidi te credere rupi
Iuris, & Aſtreæ ſtudio colis alta frequenti
Limina diuina (Iuueni non dedecus illud)
Viribus interea multum quoq; corpore paſſus

Dum

Dum tulit infracta praduros mente labores,
Purpureos inter Soles & cornua Lunæ
Noctiuagæ: exhaustum donec repleuerit orbem
Torrida iam quinis, maturè frugibus æstas.
Ne tamen illustrem generis splendore Baronem
Artibus in teneris consumpta industria fallat,
Irritus aut labor insomnis labetur in auras:
Et bene suscepti merces tibi iusta laboris
(Inclyte) soluetur tandem par fortibus ausis.
Ardua quàm tua laus totum vulgata per orbem
Sera feret tibi viuacem post secula famam.
Quare age, quod tentas Iuris certamen inire,
Perge modò excellens, da vela vocantibus Euris,
Æmula cùm virtus stimulis impellat honestis:
Præmia nam læto victori debita cedent,
Iuris vbi pugnam cum laude peregeris acrem.



ALIVD,


AD EVNDEM ILLVSTREM ac Generosum Dominum, D. Ferdinandum Khuen à Belasi, in Liechtenberg & Garteuau, Liberum Baronem in Nouo Lempach, &c.

ET meritò tanti haud abolescet gratia facti,
Summe DEVS, *qui me tanto dignatus amore es,*
Vt mihi quem Genitor virtutibus inclytus Heros,
Siue fide, seu iam non segnem expertus in arte,

Adiunxitquondam, sub me [illegible]
Militiam Phœbi vt posset studio atq; labore:
Nunc tandem specimen magna coràm indole dignum
Det Iuuenis, pergatq; virûm volitare per ora:
Et quid enim maius, quàm natum gente suprema,
Tum quando sæuit tota Mars impius orbe,
Vt patriam & bello caram defendere posse,
Dehinc etiam quando posito certamine Reges,
Inter se dextras coniungunt pace sequestra,
Consiliisq; iuuare bonos, decernere pœnas
Sontibus, & placida populos in pace tueri.
Ergò felices illi, vereq; beati,
Qui tunc prima genas vestit dum flore iuuenta,
Heroum quamuis genus alto à sanguine ducant;
Non Præceptorum monitis parêre recusant:
Sed magis atq; magis gaudent proferre per artes
Ingenium, vitæ & totius vertere in vsum:
His sed enim ipse DEVS *vera dat pace potiri*
In terris, clarumq; simul nomenq; genusq;:
Pòst verò in cœlo meritis dat præmia sponte
Pro magno ingenio, variisq; laboribus actis.
O FERDNAND *E igitur mea cura & magna voluptas,*
Perge age, quandoquidem cunctis sic altior ibis
Insolita virtute animi, pietate fideq;:
Imò etiam surget paßim tua gloria in altum,
Insignes fama ante alios, & honoribus auctis;
Qui tempus studiis nullum impendere sacratis.

Georgius Dornner LL. Studiosus eiusdemq; Generosi Dñi Ferdinandi Khuen Baronis Præceptor.

ALI-




ALIVD,

AD EVNDEM ILLVSTREM VEREQVE GENEROSVM DOMINVM, D. FERDINANDVM Khuen, Liberum Baronem, &c.

PVlchrum est Heroem, postquam illum fecerit ætas
Iam matura virum, præsenti numine Diuûm
Consilia, infandosq́; ausus, qui bella minantur
Frangere, ne patriæ Gentes Regesq́; superbi
Vi nocuisse queant, si qui nocuisse laborant.
Pulchrius at multò est, mox à puerilibus annis,
Heroum soboles si det simul otia Musis;
Vt quando frigent effœtæ in corpore vires,
Et iam sanguis hebet gelidus tardante senecta,
Consiliis tamen imperium defendere possit.
O FERDNANDE *igitur magnum decus additi Iuri,*
In te multorum spes inclinata recumbit:
Nam potis es, Generose Baro, dare Iura per orbem,
Et potis es bello nigris conspectus in armis
Vrbeisq́; & populos & regna paterna tueri.
Quandoquidem à teneris fuerit sententia mentis
Prima tua, vt possis sacratas noscere leges,
Virtute egregia ne sis indignus auorum.
Nec frustra. quoniam casus mens prouida ad omnes
Cùm tibi sit, responsa viris das ore peritis
De Legum sensu, generoso sanguine cretus,
Sub duce NICOLEO, *quo non præstantior alter,*

Vt meritò auspicijs tibi deditus ordo potentum
Ipse tuis faueat, nec non gratetur honores
Promeritos. sed nunc cecini quæ carmina lætus,
Vt nostrum inter nos quondam testentur amorem
Suscipe, quod superest, Dij tanta incæpta secundent.

Iodocus Brumius Hildesianus Saxo.



ACCLAMATIO HEROICA,

AD EVNDEM ILLVSTREM AC VERE GENEROSVM DOMINVM, D. FERDINANDVM Khuen à Belasi, in Liechtenberg & Gartenau, Liberum Baronem in Nouo Lempach, &c. scripta:

AVTORE

M. IACOBO FISCHERO PONTIFICIO & Cæsareo Poëta Laureato, &c.



On equidem, te KVNIADE, memorande silebo,
Qui mox audito Musarum nomine quondam,
Deseris & muros & pulchras deseris artes,
Quæ te nutrierant patriæ, cariq; parentis,
Præcipitasq; moras omnes, tibi gloria facti
Insignis cordi est, subita spe feruidus ardes,
Ob studia & linguas varias inuisere terras;
Nec tua pòst mutata loco sententia cessit.
Vrbs iacet in latis Boiûm celeberrima campis,
Semper vbi ingenuæ viguerunt hactenus artes,

Et

Et quæ Teutonidûm bello eſt notiſſima mundo,
*A*NGLIPOLIS, *fluuius quam præterlabitur Iſter:*
Huc, dum prima nouis adoleret moribus ætas,
Tendere curæ fuit, pulchræ vt virtutis alumnus,
Inueniat tandem votis quod ſæpe petiuit,
Nempe illi vt cedat victoria parta labore,
Et remeet patriam Victor Generoſus ad vrbem:
Imò etiam ad Superos, quorum perculſus amore eſt,
Succedat fama, viuusq́; per ora feratur
Docta virûm; nec ſpes FERDNANDVS *paſcit inanes:*
Nam licet hic atauos & auorum antiqua ſonare
Nomina multa queat, voluit tamen arte magiſtra,
Quod pauci faciunt quibus eſt ea ſtirpis origo;
Diſcere Iuſtitiam, ſine qua non gloria rebus
Vlla poteſt quæri, caſus quicunq; ſequatur.
O FERDNANDE *igitur te non felicior vllus,*
Eſt omnes inter generoſo ſanguine cretos;
Quandoquidem veſtram ſi prima ab origine gentem
Enumerare velim, vaſto ruet Oceano nox.
Quare vt ſumma ſequar breuiter faſtigia rerum,
Annon iam pridem cæli vſq; ad ſidera notus
Eſt Auus, in terris quem regia curia, multo
Tempore, FERDNANDI *coluit, ſobolesq́; magiſtrum?*
An non ſupra homines Patruum pietate videmus,
Infula cui ſacra circundat tempora vitta,
Ire tuum, Princeps noſtri eſt qui maximus orbis?
Et Patris ignorat, quis fratrem deinde RODVLPHVM,
Quem rapuit nuper dura inclementia mortis,
Et qui conſiliis in magni Cæſaris aula
Regna tot & populos iuuit, Mauortius Heros?
Ante alios verò cælo queis laudibus æquem,

Namq; tibi pater est, decus indelebile stirpis
K V N I A D V M, quem cura manet fulcire labantis
Relligionis opus, sanctasq; per oppida leges
Seruare, & vulgus composta pace tueri;
Infirmi quoniam fratris sunt corporis artus.
Et Mater, genuit multa quam prole beatus,
F R A N C I S C V S, T H A N H A V S I A D Æ lux inclyta Gentis:
Sex Gnatos sed enim dederat fortuna parenti,
C H R I S T O P H O R V M, qui primus erat, cui viuida bello
Dextra fuit, cui animusq; ferox, patiensq; pericli.
Hunc sequitur magnus virtute G E O R G I V S Heros,
Exultans, dum vita fuit, fulgentibus armis.
Nec tu B A R T H O L O M Æ E meis indictis abibis
Carminibus, sacros Canones & vota sequentem
Ritè Salisburgi, dum fata Deusq; sinebant.
Sedne V V O L F G A N G V M taceam, fratremq; I A C O B V M,
Pocula libato summo tenus attigit ore
F E R D'N A N D I prior ille Ducis patrisq; Tyrolis,
Magnanimi verò F E R D N A N D I Cæsaris alter.
At nunc quid P A V L V M memorem, quem regia cæli
Linquit adhuc nobis, viuumq; Carinthia solum
E numero fratrum cernit, quos ferreus vrget
Somnus, & in longam clauserunt lumina noctem.
Ex hac, F E R D N A N D E, est Genitrix tua stirpe creata
E L I S A B E T H A, patri dulcis medicina laborum,
Virtute exuperans muliebri, & laude pudoris.
Quod superest magnum Iuris decus atq; Lycæi,
O Generose Baro, Boias qui inuisit Athenas
Laudabit meritò tua facta insignia, quæ nunc
Aggrederis, magna Legum stipante caterua,

Præside